



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 35. Faventia a Venetis capta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.

§. XXXV.

Faventia a Venetis capta.

Cum vero Julius milite, æreque destitutus esset, nil reliquum habebat, quam ut Tiburis Episcopum ad Venetos decerneret, qui adjectis etiam minis significaret, quod Papa non sine stupore percepisset eorum temeritatem, qua hanc conditionis Ecclesiasticæ urbem sibi subicere præsumerent, cum tamen ipsi nunc majori, quam unquam necessitate urgerentur, ut vires suas Pontifici conjungerent, ne a duorum Regum totius Christiani orbis potentissimorum armis opprimerentur. Ad hæc responderunt Veneti, se quidem Faventiæ arcem occupasse, cum vero illam opportuna occasione auro emissent, nullum inde Sedi Apostolicæ damnum fuisse illatum, proinde sanctitatem suam immerito hac de re conqueri. Cessit tum summus Pontifex, & Faventini Venetorum imperio sese subicere compellebantur, a Victoribus tamen pensionem petebant, ut e Reipublica constitutis vectigalibus Astorres pro dignitatis, statusque sui ratione honeste vitam ducere posset. Occupata Faventia Venetis haud difficile erat, reliquam Romandiolæ partem subigere: ast acerbiores Papæ indignationem veriti,
ab

ab armis cessabant, idque non parum e
 re Pontificis erat, qui tamen, ut eorum
 potentiam minueret, nil intentatum re-
 liquit.

æcul. XVI.
 A.C. 1503.

§. XXXVI.

*Nativitas Ferdinandi Archiducis,
 & Isabellæ Lusitanæ In-
 fantis.*

Hoc anno die decima Martii in Hispania Joanna Archiducissa, quæ post Archiducis conjugis sui discessum Com-
 pluti remanserat, Filium enixa est, qui Ferdinandus appellatus, postea Cæsaris dignitate inclaruit. Archiepiscopus Toletanus, qui Principem sacro fonte abluit, festivæ hujus nativitatis opportunitate usus, geminam ab Isabella Regina gratiam petiit, ut primo urbs Complutensis ab omni exactionum genere immunis esset, ac denique mille librarum pensio annui redditus ex ærario Regis ejusdem Civitatis Universitati attribueretur. Id ipsum, quod Archiepiscopus petiit, in recens nati Principis gratiam feliciter obtinuit, indeque sibi Complutenses, in quorum urbe pro more suo habitabat, mire devinxit. Circa idem tempus Ulyssipone die vigesima quarta proximi Mensis Octobris Lusitanæ Regina Filiam in lucem edidit, quæ imposito Isabellæ nomine

*Marian. l. 27
 n. 9. 7. &
 lib. 28.
 Alvarez.
 Gomez. l. 3.*